Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Benjamin Groddeck Joa. Guil. Lehmann

Dissertatio Critica De Punctis Hebraeorum Cuius Sectionem I.

Gedani: Schreiber, 1753

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

CIc-2301(1)[14]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0001
DFG

DISSERTATIO CRITICA
DE
PVNCTIS
HEBRAEORVM

CVIVS
SECTIONEM I.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

PRAESIDE
M. BENIAMIN GRODDECK
GR. ET OO. LL. PP.
AD D. XXIII M. OCTOBRIS A. R. S. CIↃ IↃ CCLIII
IN AVDITORIO MAXIMO
PVBLICE DEFENDET
IOANNES GVILIELMVS LEHMANN STARG. BOR.
ALVMNVS VOEGEDINGIANVS.

GEDANI
TYPIS THOMAE IOANNIS SCHREIBERI SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

Lic-2301(1) 14

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn825626374/phys_0006
DFG

INCLYTAE REIPVBLICAE GEDANENSIS

PATRIBVS CONSCRIPTIS VIRIS

Permagnificis, Magnificis, Generosis, Maximeque Strenuis

Domino

Nathanaeli Gottfrido Ferber

Prae-Consuli, Praesidi et regiorum Montanarum Administratori;

Domino Carolo Gottlieb Ehler

Prae-Consuli, Vice-Praesidi et Insulae Naeringensis Administratori;

Domino Ioanni Wahl

Prae-Consuli, Rerum Bellicarum Praesidi, Protoscholarchae et Insulae Stueblauiensis Administratori;

Dn. Georgio Simoni a Boemeln

Dn. Christiano Gabr. a Schroeder

et

Domino Michaeli Schmidt

Consulibus, Camerariis atque Scholarchis;

Domino Danieli Schumann

Consuli;

Domino Gottfrido Lengnich

I. V. D. Syndico huius urbis Dignissimo et quondam Doctori suo nunquam satis uenerando;

Summe

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0007
DFG

Summe Venerabili
Excellentissimo atque Doctissimo
Domino Frideric. Wilhelm. Krafft
S.S. Th. D. Reu. Minist. I. A. C. Seniori, et Pastori Primario
ad Aedem D. Mariae Dignissimo;

Praenobilissimis, Amplissimis, Consultissimisque
Dicasterii Primariae Ciuitatis Membris
Domino Ioanni Ernesto Ferber
Seniori;
Domino Henrico Zernecke
Conseniori:
Domin. Ioanni Frideric. Schumann
et
Assessoribus Reliquis
Iustitiae Arbitris
Grauissimis Meritissimisque;
ut et
Domino Henrico Richter
Dicasterii Ciuit. Secund. Assessori dignissimo, et Maecenati ob collata
largiter beneficia aeternum colendo;

Plurimum Reuerendis, Reuerendis, Amplissimis, Doctissimis
Dns. Pastoribus atque Diaconis
Sacrae Rei Administratoribus Venerandis;
Inprimis
Admodum Reuerendo ac Doctissimo
Domino M. Herm. Bordewisch
Diacono Primario ad Aedem S. S. Trinitatis et a Confessionibus
sibi summa pietate colendo;

Summe

Summe Reuerendo, Consultissimo, Experientissimo
Excellentissimis, Amplissimis atque Doctissimis
Collegii Professorii Membris
Dominis, Rectori, Inspectori,
et caeteris
Viris Clarissimis;

Nobilissimo, Spectatissimo
Dn. Ioanni Ern. Schimmelfenning
Quartarum Magistro et Antistiti ad Aedem D. Mariae Dignissimo;

Plurimum Reuerendis, Doctissimis
Domino M. Ioanni Moneta
Pastori Megazinderiensi Vigilantissimo;
Dn. M. Ioanni Theodoro Grade
Pastori Trutenauiensi meritissimo;
Domino Ioanni Mathaeo Wagner
Pastori Caesemarciensi Meritissimo;
Domino Henrico Gaerber
Pastori Wonebergensi Vigilantissimo;
Domino I. Christophoro Weise
Pastori Starogardiensi fidelissimo;
Domino Danieli Wokenio
Pastori Schoeneckiensi dignissimo;

Nobi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0009
DFG

Nobilissimis, Doctissimis

Domino Gottfrido Penski

Domin. Gottl. Gabr. Weickhmann

et

Domino Friderico Wahl

Reipublicae Gedanensis Secretariis Spectatissimis;

Nobilissimis atque Spectatissimis

Dominis

Ad Sacell. D. Mariae Antistitibus

Splendore atque dignitate conspicuis;

Nobilissimis, Generosis

Dn. Christiano Hartm. a Schroeder

Dn. Ioanni Beniamin Engelcke

et

Dn. Ioanni Alberto a Rosenberg

Patriciis huius urbis florentissimis;

Maecenatibus, Patronis, Fautoribus

submissa mente omnique honoris cultu colendis, prosequendis;

Hanc Dissertationem cum omnigenae felicitatis voto
in studiorum suorum commendationem offert,
dicat, consecrat

Eiusdem Defensor.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0010
DFG

DE PVNCTIS HEBRAEORVM.

§. I.

Punctorum nomine apud Hebraeos non ea tantum signa ueniunt, quibus uocales indicari solent, sed notulae quoque, quae ad lectionem et pronunciationem adhibentur, reliquae. Haec uno nomine a Rabinis נקודים uocantur. Quum uero omnium non eadem sit uirtus ac functio, diuisio inde enata, pro qua puncta dicuntur alia, *quae sonum praefigunt*, alia, *quae tonum regunt*, alia tandem, *quae ad usum mere criticum spectant*. Generaliori huic diuisioni addita deinde specialior, quae priora iterum in מלכים et משרתים siue *reges* et *ministros* dispescit; ita ut illi *uocales*, hi *scheuata*, et *tres illas diacriticas literarum notulas* significent. Posteriorum alia *grammatica*, alia *rhetorica* dicta. Vltima tandem, pro uario suo situ, uel *uariantes lectiones*, nomine קרי et כתיב satis notas, uel פסקא includunt; uel tandem *ob congeriem suam Iudaeis profundioris sensus indicio esse solent*. Horum autem omnium ualor admodum diuersus, isque nec a Iudaeis, nec a Christianis in totum

satis determinatus, quinimo maximam partem figmentis Iudaeorum obscuratus, sententiis longe a se dissidentibus ansam dedit; ita ut dignitatem suam, hic illic sibi tributam, apud omnes Eruditos tueri haud potuerit. Sunt nimirum, qui, quicquid schola Rabbinorum hic praecipit, sacrum habent, eique non humanam, sed diuinam adscribunt originem. Sunt e contrario alii, qui, prout Masoretharum curis haec omnia tribuunt, ita totam hanc suppellectilem hominibus istis reddendam esse censent, quum Codex sacer sine ficulneis hisce, ut loquuntur, adminiculis et lectus fuerit olim, et hodie aeque ac Rabbinorum scripta tuto legi possit. Videntur tamen utrique partim in excessu, partim in defectu peccare. Alii proinde, qui mediam uiam tutissimam hic iudicarunt, nec nimium uiris istis adscriptum, nec omne illis uolunt detractum. Praecipua uero lis, quae ultra duo iam secula in orbe erudito agitata, nec etiamnum composita plane uidetur, tangit originem et antiquitatem uocalium et accentuum linguae Hebraeae. Hanc litem, licet alii coniunctim gerendam esse praecipiant, ac ea propter iisdem fere pro utrisque utantur argumentis, unius tamen eiusdemque conditionis haud esse, ac idcirco una uia rem confici haud posse, alii non sine ratione statuerunt. Praeterea multa liti huic sese admiscuisse uidentur, quae statum controuersiae ualde conturbatum ac implicitum reddiderunt, quaeue, nisi inde remoueantur, uiam ad consensum semper sunt praecluſura. Nobis quidem mens non est, omnia, quae huc spectant, hic inserendi, Virosque eruditos ab utraque parte litigantes producendi in publicum, quum eorum tantus sit numerus, *a*) tantaque, qua claruerunt, et adhuc excellunt, auctoritas, ut sine periculo hic uersari difficile sit. Liceat ergo nobis ea tantum nunc considerare, quae forte ansam ad dissensum magis magisque tollendum dare poterunt. Praescribimus autem in hac doctrina hunc nobis ordinem, ut hacce commentatione de punctis uocalibus, et inprimis de eorum antiquitate tantum agamus, reliqua si DEO fuerit uisum, insequentibus laboribus nostris relicturi.

§. II.

a) Quem uide in aliis apud Cel. IO. FR. COTTA in exercitat. historic. critica, de origine Masorae punctorumque Hebraeorum V. T. §. VIII - IX.

§. II.

Ad ſtatum controuerſiae rite figendum mox ab initio praemonemus, non confundendas eſſe uocales cum earum figuris, aut denominationibus hodiernis. Alia enim quaeſtio eſt, num Hebraei uocales ſuas nullis unquam notulis diſtinxerint? alia uero, num hodiernis figuris eas primitus expreſſerint? Differunt porro quaeſtiones illae, num uocales Hebraeorum nullas unquam, an hodiernas ſemper geſſerint denominationes? Vocalibus enim in genere Hebraeos caruiſſe, nemo ſane affirmabit, niſi uocem ſimul hominibus iſtis adimere uelit. Neque hac de re ulla lis uel mota unquam, uel moueri poterit, quum notum ſit, nullam conſonam ſine uocalitate quadam articulato ſono proferri poſſe. Hinc optimo iudicio Iudaei uocales תנועות ſeu motiones appellauere, quod nemo literam mouere *b)* queat ſine quinque iſtis motionibus. *c)* In pronunciatione itaque uocalibus haud deſtituebantur Hebraei. Vtrum uero uocales, in pronunciando conſonantibus datas, certis ſignis quoque expreſſerint, hoc eſt, quod in quaeſtionem nunc uenit, et paulo curatius indicandum erit. Noſtro quidem iudicio, ſi ad id primo attendimus, quod ſumma nititur uero ſimilitudine, Hebraei non uidentur omni uocalis notula caruiſſe. Quod ut euincam, argumenta non aliunde, niſi ex ipſis linguae uiſceribus deſumam. Hoſpes namque ſit, et ne a limine quidem linguam Hebraeam ſalutaſſe cenſendus, qui neſciat, unius radicis formas dari tam diuerſas, ſuoque charactere ſic diſtinctas, ut, niſi notula quadam a ſe inuicem diſcernantur, facile eas inter ſe confundas. Exempla quamplurima, ab Eruditis hac de re iam prolata, id luce meridiana clarius probant. Vnde colligimus non ueroſimile eſſe, formas tales nulla unquam notula fuiſſe diſcretas. Neque uero eo nunc progredimur, ut

b) Hanc Iudaeorum ſententiam ita illuſtrat Cel. SCHVLTENSIVS in grammatica Hebraea pag. 45: clarius fuiſſet, ſi pro mouere dixiſſent articulatam facere, uel animare, uel tale quid. Re uera moueri poteſt omnis litera ſine ope uocalis alicuius, i. e. poteſt ſecundum organa ſua reddi, et in aëre explodi; ſed non poteſt articulari, uocabulumque efficere certa praeditum ſignificatione. Sit ergo moueri in hac iam materia articulato ſono proferri.

c) Verba ſunt KIMCHII in Mich. 1. fol. 168.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0013
DFG

defendamus, omnibus literis puncta semper fuisse subscripta. Sufficit enim ostendisse, uniuersalem punctorum absentiam grauem, quin inextricabilem saepius parere difficultatem. Hinc si uel non omnibus formis in genere, iis certe dubiis signa quaedam uocalis addidisse uidentur Hebraei. Cohaerentia contextus cum antecedentibus et consequentibus, ad quam tali casu prouocant aduersarii, totam quae rem conficiat, haud apta est. Etenim nisi de significatu singularum uocum tibi constet, ex unica connexione sensum tuto haud erues. Egregie hac de re B. WASMVTHVS. *d)* *Totum* inquit, *orationis contextum et seriem, sententiam item et scopum auctoris attendere, commoda quidem norma est interpretationis, at non certae et firmae lectionis. Vti ergo prius est legere, quam interpretari: ita etiam singulae uocis in naturali significatu constitutio, necesse est praecedat antecedentium et consequentium iudicium, non illud sequatur, aut ex eo demum eliciatur. — Saepe ipsa antecedentium et consequentium conciliatio dependet ab unius uel alterius uocis dubiae, et uarie ab interpretibus expositae, intelligentia. Quam perpetuus ibi igitur existet probationum circulus?* Neque uero hoc praetermittendum, si contextus quidam ex connexione sit interpretandus, de ipsis praecedentibus et consequentibus antea constare debere, quam ex istis concludere uolumus. Ergo ad ipsam connexionem rite intelligendam, genuina uerborum lectio, atque inde uerus eorum significatus figendus requiritur. Sane nec sibi satis, nec posteris consuluissent Hebraei, si formis dubiis nullum distinctionis signum addidissent. Neque enim propagatio oralis ad genuinam Codicis sacri lectionem retinendam sufficere uidetur. Concedimus quidem, uiam in lingua patria addiscenda faciliorem, quam in peregrina esse, illamque quoad diuersas suas formas, quauis extera notiorem nobis euadere posse. Proinde linguam Hebraeam a nobis difficilius hodie addisci, quam eo tempore factum, ubi in ore hominum uersabatur, negatum haud uolumus. Attamen affirmare sustineo, nec ipsis in uniuersum Iudaeis lectionem sacram absque omnibus punctis patere potuisse. Hoc ipse CAPPELLVS *e)* concedere uidetur, quando lectionem sine punctis

d In uindiciis sacrae hebr. script. pag. 171.

e) In arcano punctationis reuelato Libr. I. cap. VI §. VI.

ctis peritioribus tantum assignat, indoctos uero ab ea arcet. Non disquiram nunc, quo iure CAPPELLVS indoctos, rudes, et in genere uulgum a lectione sacra excludat, quum testimonium hocce satis clare doceat, lectionem sacram absque punctis non omnibus in uniuersum patuisse. Sed neque docti inter Hebraeos ad id fastigium ascendere ualebant, ut tuto Codicem sacrum sine punctis legerent. Id quod iterum CAPPELLVS haud obscure innuit, ubi ad diuinationem prouocat, *f)* qua quae non statim erant obuia, facile dare potuerint. Ergone talis lectio, quam diuinando trado, sensum certum exhibet? Coniecturam eam dixeris, non certam lectionem, ipso iterum CAPPELLO, *in praefatione critices suae*, disertis id fatente uerbis. At Scriptores sacri non illi, qui uerbum DEI ad coniiciendum darent, cui quilibet pro ingenio suo sensum quendam tribuere posset. An ergo credibile, Codicem sacrum saltem in casu dubio omni punctatura caruisse? Quod uero nunc probabilem tantum certitudinem habere uidetur, id ex iis, quae in sequentibus dicentur, ingens robur accipiet, atque ad summam perducetur euictionem.

§. III.

Inuentio punctorum uocalium, notularumque illarum, quibus lectionem sacram claram et certam reddere debebant Hebraei, haud maiorem includit difficultatem, quam quae ipsi literarum inuentioni suberat. Quid ergo impedit, quominus utraque unum eundemque agnoscat auctorem? Et certe praecipuum omisisse uideretur ille, qui, quum consonarum pronunciationem signis peculiaribus indicaret, uocales, sine quibus consonae sono articulato efferri nequeunt, non simul notulis quibusdam signasset. Vocalis enim et consonans, ut uerbis PRISCIANI utar, differunt inter se ut anima et corpus. Prout enim anima mouet corpus per se immobile: ita et uocales quasi mouent consonantes sine harum beneficio immobiles mansuras. Nimis arctum autem inter uocalem et consonam intercedit uinculum, quam ut unum tangere, alterum intactum relinquere possis. Minime ergo probabile uidetur, illum, qui literarum motum figura

f) c. l. Libr. II. C. XVIII. §. III.

quadam primus expreſſit, nec uocalium ſonum ſimul exarare docuiſſe, ſed hanc inuentionem ſucceſſoribus ſuis, tot ſeculis, ex mente aduerſariorum, a ſe diſtantibus, reliquiſſe. Haec uero probabilitas maiorem gradum nanciſcitur, ſi dignitatem inuentarum literarum aliquanto curatius perpendimus. Prout enim ſingularis ſapientiae indicium inuentio illa iure habetur; ita multum illi detraxiſſe uideretur; qui coronidem uelut toti huic operi non impoſuiſſet. Noſtra ergo ſententia plane incredibile eſt, ut qui conſonas ſcribere primo docet, non ſimul de uocalibus cogitet. Idem proinde auctor, quisquis tandem fuerit, qui figuras literarum inuenit, et notulas uocalium primus ſignaſſe uidetur. Accedit ſcopus inuentionis literarum, qui alius eſſe nequit, niſi ut pronunciatio earundem oculis obiiciatur. Pronunciari uero ſine uocalium ope haud poſſunt, atque eaedem literae, pro forma uocis diuerſa, diuerſe quoque enunciari ſolent. An ergo ſcopum hunc in totum obtinuiſſet auctor ille, ſi inuentione literarum tantum fuiſſet contentus? Nonne ſic defuiſſent indicia diuerſae literarum pronunciationis, atque diuerſae uocum ſingularium formae? An ſufficiebat oſtendiſſe, ex. gr. figuram ב tum *ba*, tum *be*, tum *bi*, tum *bo*, tum *bu*, uel clarius, uel obſcurius pronunciari, nec praeterea quidquam, pro diuerſa hac pronunciatione indicanda, adieciſſe? An forte facilius aut ſimplicius erat ſine notula quadam, quam ſigno quodam ſubſtituto, haec a ſe inuicem diſtinguere? Hoc nemo certe dixerit. Ipſa proinde literarum inuentio pro arctiſſimo cum uocalibus nexu ſuo, figuris uocalium eandem antiquitatem adſcribendam eſſe iubet.

§. IV.

Si uocales hasce pro figura ſua, qua expreſſae uidentur, conſideramus, nulla nos urget neceſſitas, ut eas tales a primo ſuo initio fuiſſe, quales hodie in Bibliis noſtris habemus, ſtatuamus. Per ſe namque arbitrarium eſt, quo ſigno haec uel illa uocalis notetur, dummodo conſtans illud ſit, atque ad finem, propter quem inuentum eſt, ducat. Neque integritati Scripturae ſacrae quidquam inde decedit, ſi uel hodiernas uocalium figuras non

easdem

easdem plane cum antiquis esse affirmes. Quemadmodum enim de literis *g)* iam obseruauimus, nihil Scripturae sacrae auctoritati derogari, si uel ductus earum successu temporis paululum uariatos statuamus: ita idem de uocalibus quoque asserimus. Perinde enim est, si uocalis maneat eadem, utrum hoc, an illo ductu scribatur. Neque diffiteri possumus, hodiernas uocalium figuras ornatius quid prae se ferre, quam naturae simplicitas poscere solet, quum tota res uel unico puncto uarie posito absolui potuerit. Ita uideo Cel. SCHVLTENSIVM calculos subducere. *h) Qui primus scripturam inuenit, quisquis ille fuerit, ante uel post diluuium, cum figuris literarum haud dubie signa uocalium excogitauit, quod alias non mancum tantum, sed mortuum fuisset opus illud, quo nullum admirabilius, et generi humano opportunius. An difficilius erat sonis* a, e, i, o, u, *signa ponere, quam consonis* b, g, d etc.? *An non in promtu erat, saltem punctulum aliquod figere, uel infra, uel supra consonas, uario situ, ad id, quod* a, e, i, o, u, *uocamus, indicandum? Nemo eo usque coecus, qui hoc saltem non uideat et agnoscat. Iam uero tali punctulo hactenus nullum aliud nomen addo, quam quod natura ipsa ei dedit, et infernum, u. gr. ad dextram, uoco* a, *ut* בַ: *ad sinistram* e, *ut* בֵ: *in medio,* i, *ut* בִ: *superne appictum, erit* o, *ut* בֹ: *denique locatum paulo intimius, fuerit* u, *ut* בֻ. *Non dico haec ita fuisse, sed ostendo, quid esse potuisset, et quantillum negotii, ubi literae inuentae et constitutae, uocales adinuenire, et firmis legibus suis quasque consonis suis adaptare, ut non mortua esset scriptura, sed uiua, et per mortrices suas animata.* Hanc coniecturam Viri Magni usus antiquus Syrorum et Arabum mirum in modum probat, prout Ipse alio loco, *i)* diserte innuit. Notum autem et peruulgatum est, Syros hodie duplici signo uocalium uti; altero, quod meris punctis constat, altero, quod certos sistit characteres. Si ad utrumque hoc characterum genus attendimus, quilibet statim persentiscet, figuratum hocce punctato illo recentius esse debere. Nulla enim ratio adesse uidetur, si figurae illae uocalium apud Syros sunt antiquissimae, eaeque

g) Sect. I. §. IV.
h) In grammatica Hebraea, pag. 50.
i) In Institut. Aramaeis p. 10.

eaeque, ut quidam uolunt, clariores quin perfectiores, cur puncta pro iis indicandis postea adsciuerint. Neque cur nomina harum figurarum graeca non retinuerint, facile dixeris, praesertim quum alias uocabula graeca habeant, et ciuitate sua donarint. Totam uero hanc litem Vir Magnus componit, quando ortum figurarum apud Syros graecarum ita exhibet: *Tabella, quae figuras offert, recentioris est originis. Earum inuentor* THEOPHILVS EDESSENVS *Maronita, qui circa annum Christi* DCCXCI *decessisse traditur. Is Homerum uersibus Syriacis reddens, ad nomina propria tanto accuratius exprimenda, graecas adoptauit uocales, libere supra, infra apponendas, prout opportunitas tulisset. Ipsam figuram quoque liberiori calamo duxit, unde in Msc. magna circa easdem diuersitas. Qua de re conferri merentur, quae doctiss.* ASSEMANNVS *in bibliotheca orientali Tom. I. pag. 64. annotauit.* Syri itaque exemplo nobis sunt, omnia, quae ad uocalium designationem spectant, olim uel uno punctulo, situ suo ab altero discernendo, facillime expediri et effici potuisse, nec esse, ut pro hodiernis figuris tam acriter disputetur. Si porro et Arabes huc reuocatos uolumus, idem et hi antiquo suo usu probabunt. Multum tamen erraret, qui ab hodierna Arabum scriptione argumentum hic desumere uellet, quum historia satis clare doceat, illam seculo demum decimo uoluente ab ABVALI IBN MOCLA, supremo ministro, siue Vezyro, quadragesimi primi Caliphae Arradii, qui A. H. CCCXXII regnare coepit, excogitatam, ac pro charactere Cufico, rudiore illo, et semiunciali pondere tardissimo, substitutam esse. Hoc charactere cufico MVHAMMED in Alcorano suo quoque usus, qui punctis uocalibus haud destituebatur. Probat hoc Cel. HOTTINGERVS *k)* ubi de usu Arabum in punctis adiiciendis antiquo et recentiori, ita scribit: *Arabum scripta, et sacra, et profana quam plurima, suis uestita leguntur uocalibus; at non iisdem uel nunc, uel olim. Vnico olim puncto in antiquissimis Alcorani exemplaribus (quod quia a doctissimis, et linguae Arabicae peritissimis negatum est, nunc moneo) diuersas innuebant uocales, prout uel supra literam ponebatur, uel infra,*

k) In thesauro philologico pag. 401.

infra, uel in uentre. Paulatim figura haec rotunda mutabatur in apicem transuersum uel cubantem, apud occidentales; declinantem uero, seu accliuem, a dextra sinistram uersus, apud orientales, in denotandis uocalibus a, e *et* i: o *uero et* u *semilunula significabatur. Prioris punctationis fidem facit elegans Alcorani charactere Cufico exarati fragmentum, cuius alias meminimus. Posterioris apud orientales, aliud uenerandae uetustatis monumentum a* IOANNE MARQVARD A KOENIGSECK *in Europam allatum, et benigne nobis communicatum.* Hicce uero character Cuficus minime pro antiquissimo habendus, quum Scriptores apud Himiaritas, i. e. Homeritas ac Sabaeos, qui principatum totius Arabiae tenuere, obseruante Cel. SCHVLTENSIO, *l)* testentur, per longissimam seculorum seriem scripturam olim obtinuisse multum diuersam ab illa communi, et a charactere Cufico etiam discrepantem. Ex his ergo iterum liquet, uocales apud Arabes per puncta olim scriptas esse. Videor autem mihi in ipsa hodierna Hebraeorum punctatione uestigia punctorum relicta, quibus olim res confici poterat, non obscure offendisse. Plurimae enim uocales, prout hodie scribuntur, ex meris constant punctis, unico *patach* et *kametz* excepto. Haec uero duo aeque ex punctis coaluisse mihi quidem maxime uidetur probabile. Patach enim, quod hodie figuram lineolae transuersae habet, ex tribus iuxta se positis punctis ortum esse uidetur, ita ut figura (-) olim (...) scripta fuerit. Pariter kametz, quod hodie ( ) pingi solet, aliquando (∴) expressum fuisse, specie haud caret. Sic omnis uocalium designatio iterum punctis absoluitur, quibus sese sensim sine sensu linea una alteraue admiscuit. Haec autem eum in finem adduximus, ut pateat, nimium a quibusdam hac in causa postulari, quando hodiernas praecise uocalium figuras literis coaeuas esse uolunt, quasi actum sit de Codicis sacri integritate, si quaedam figurarum hic statuatur diuersitas. Forte meliori fortuna tota haec agitata fuisset disceptatio, si quod arcem causae non tangit, hic remouissent Eruditi. Etenim quum largiantur, immutationem quandam externam successu temporis introductam fuisse, *m)* cur eandem de uocalibus

l) In clauf dialectorum rudimentis Arabicis Erpenianis adiecta p. 323.

m) Conferatur B. LOESCHERVS de causis lingu. Hebr. pag. 225.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn825626374/phys_0019 DFG

admittere dubitauerint, ego quidem concipere nequeo, quum nemo, a figura mutata ad ipsius uocalis permutationem, consequentiam facile sit admissurus. Nostra igitur sententia integritas Scripturae Sacrae minime laeditur, si uel ductus uocalium Hebraearum paululum ab antiquis diuersos statuamus.

§. V.

Notulas illas, quibus olim uocales apud Hebraeos indicabantur, Codici Sacro non ESDRAE demum tempore, multo minus Masoretharum aetate appositas; sed ab ipsis Scriptoribus Sacris literis additas fuisse, non sine ratione statuimus. Quod ad Masorethas attinet, hanc enim sententiam primo considerare lubet, non nimis audax foret, qui hoc pacto de Scripturae Sacrae auctoritate parum constare asseueraret. Etenim, si usque ad Magistros Tiberienses nullus uocalis sonus signatus fuit, ut uolunt aduersarii, omnis Scripturae lectio per traditionem oralem fuit propagata. Ad hanc certe rationem testimonia Rabbinorum de Esdra et Viris Synagogae M., ceu punctationis auctoribus, explicanda censet CAPPELLVS, n) *legitimam Sacri textus legis a Mose traditam lectionem, per incuriam hominum, maxime paulo ante captiuitatem Babylonicam, atque adeo in ipsa captiuitate, totam uelut abiisse in obliuionem, ac postmodum ab Esdra, et Viris Synagogae M. quasi post liminio reuocatam esse, et ueluti ex obliuionis sepulcro erutam, eamque rursus posteris quasi per manus traditam, donec tandem ea ad Masorethas iterum* perpetua traditione *transmissa, excogitatis ab ipsis Vocalium notulis expressa, iisque ad consonantes additis Scripto ueluti esse consignatam.* Ergo tota punctandi ratio in Sacris memoria hominum nititur, quae, non sine miraculo, omnia, siue ordinarie, siue extraordinarie uel emphatice hic occurrant, fideliter retinuit. Studio dico, non sine miraculo hoc factum esse. Quis enim hominem tam parum nouit, qui labilem eius memoriam non saepius sit expertus. Neque uero a Prophetis aut Viris θεοπνευστοις hocce arcanum accepere Masorethae, quum multis ante Doctores hosce seculis illi iam defierint. Vnde non nisi ui humana traditio haec propagata

n) In Arc. punct. reuel. L. I. C. II. §. 6.

propagata atque transmissa fuit. Sic igitur Scripturae lectio a labili hominum memoria pendebit, suamque uere diuinam auctoritatem cum humana commutabit. Vnde, si omnis Scripturae lectio ore tantum est propagata, nullis plane uocalium signis praesentibus, nunquam de genuina Scriptorum Sacrorum mente certi esse possumus. Qua consequentia quum sententiam suam CAPPELLVS pressam uideat, mox aliam partem eligit, atque traditionem uocalium, a Mose ad Masorethas factam, monstrum supra omnia prodigia portentosissimum, atque commentum insulsissimum uocat, ad interiorem linguae Hebraeae cognitionem, inter doctos semper superstitem, confugiens. o) Mihi quidem non satis liquet, si lectio Sacri contextus perpetua traditione transmissa, quomodo ea, absentibus omnibus uocalium notulis, aliter potuerit propagari, nisi ut homines id, quod a maioribus suis didicerant, tenerent memoria. Praeterea non rite concipi posse uidetur, qua ratione lectio Sacra absque omni uocalis signo propagari potuerit. Neque causam suam dextre satis tuentur aduersarii, ubi adstruunt, uocales hodiernas ita a Masorethis adornatas esse, ut ueram lectionem, atque adeo genuinum Spiritus S. sensum repraesentent. Iure enim asserti huius probationem quaerimus. Deinde ubi ad analogiam Scripturae, atque ad genium linguae, sensumque inter Iudaeos longo ac diuturno usu receptum prouocant, atque inde punctaturam ueram ac legitimam, per lectionem, aliquot annorum centuriis a doctoribus Iudaeis, linguam S. sedulo excolentibus, conseruatam inferunt, argumentum hocce sine ulteriori confirmatione non uidetur tuto assumendum. Quod enim ad analogiam Scripturae attinet, illa ex uera lectione demum constabit, qua dubia, neque ex ea quis ratiocinari poterit. Porro nec linguae genius, seu intima eius cognitio, in causa nostra fundamenti loco ponendus, quum sine uera lectione ad hanc cognitionem nemo possit peruenire. Diserte hanc in rem Cl. DASERVS: p) *Nihil quidquam hic ad rem facit cognitio linguae Hebraeae, quae non nisi aptitudinem scripta hebraica rite et legendi et intelligendi, positis*

o) c. l. L. II. C. XXI. §. 3.
p) In exercit. de origine et auctorit. punct. Hebr. diuina §. 10. p. 30. seqq.

nimirum ipsius requisitis, innuit. Deficiebat enim principale lectionis requisitum, uocales nimirum, quas uero nec in mente quidem, multo minus in scriptis retentas atque propagatas esse aduersarii contendunt. Scilicet sit ita, nunquam non in gente iudaica quosdam exstitisse, qui linguae Hebraeae non penitus erant rudes atque ignari, non tamen inde sequitur, ipsos Codices non punctatos sine punctorum ope, quae nec in scriptis, nec in mente habuerint, legere atque intelligere potuisse. A cognitione enim linguae alicuius ad lectionem scriptorum, quaecunque subinde sint, in lingua ista exaratorum, non rite semper concludere licet, praeprimis si cognitio ista sit admodum mediocris, qualis procul dubio et doctiorum inter Iudaeos temporibus istis calamitosis erat, quibus ipsis ad minimum animus sedatus, tranquillus, riteque dispositus, sine quo cultura uel artis, uel linguae cuiusdam ulterior, plane nulla est, deerat, lectio autem eiusmodi scriptorum satis in lingua ista exercitatum magistrum requirat. Praeterea ipsa LXX uiralis uersio, non obscure docet, uiros istos non tantum in literis, uerum etiam in punctis erasse, de quo multa exempla collegit CAPPELLVS. q) Hic uero error ab interpretibus istis commissus insigne argumentum contra propagationem punctorum oralem nobis suppeditat. Etenim si eo iam tempore tanta confusio ex lectione Codicum non punctatorum, quorum ex mente aduersariorum tunc communis erat usus, exorta, quomodo quaeso probabitur, Masorethas, multis seculis uiris istis recentiores, ueram lectionem a maioribus suis ore sibi traditam, incorruptam retinuisse? Quicunque uero illi fuerint, qui opus hocce translationis adornarunt, in utraque tamen lingua bene uersatos eos fuisse, nemo uocabit in dubium. Quum igitur illi, qui trecentis fere ante Christum annis uixere, Codicem sacrum, punctis ut uolunt destitutum, rite legere haud ualuerint, quid sentiendum erit de illis, qui octo fere seculis ab hisce distant, quorum quippe tempore, cognitio Hebraea, multo debuit deterior esse, et certe fuit? Tam lubrico ergo fundamento nititur punctatio Codicis sacri de Masorethis iactata.

§. VI.

q) In critica sacr. L. IV, c. 2.

§. VI.

Prout uero Maſorethae punctaturae ſacrae auctores haud eſſe uidentur, ita nulla ratio adeſt, quae initium eius ad ESDRAM demum referendum eſſe ſuadeat. Quanquam enim ea aetate maior adhuc ac plenior linguae Hebraeae cognitio obtineret, quam quidem ſeculo illo maſorethico, quippe quo ea ſic deficiebat, ut niſi eruditiores rationem eius habuiſſent, interiiſſet penitus; eadem tamen difficultas in legendis Sacris, nullis uocalium notis ſignatis, ſuberat. Neque nimium aſſereret is, qui maiorem adhuc difficultatem in legendo Codice ſacro punctis deſtituto eo tempore ſtatueret, quo lingua Hebraea uiua erat, et in omnium ore uerſabatur, quam quo diem ſuum iam obierat. Etenim lingua florente longe plures formae uocum in uſu erant, externe cum formis iis conuenientes, quas Scriptores ſacri adhibuere. Hoc qui negare uult, conſideret longam illam annorum ſeriem, qua lingua illa uixit, floruit, ac quotannis noua incrementa capere debuit. Lingua enim quo diutius uitam ſuam conſeruat, eo opulentior fit uocibus ac formis, ſuo ſe charactere ab aliis diſtinguentibus; eo ditior quoque ſignificatuum ac conſtructionum uarietate euadit. Nonne uero hoc pacto lectio absque punctis difficilior enaſcitur, ubi externa uocum facies conuenientiam cum innumeris fere aliis, eandem externe faciem gerentibus, habet? Nonne ſic error longe facilius committetur, quam ubi ad certam tantum formam lectio adſtringitur? Sic uero inquies, Esdrae eo magis competebat, ut lectionem ſacram notularum quarundam inuentioni adſtringeret, quo poſteritas ſenſum diuinum eo tutius capere poſſet. Sed reſpondemus, hanc notularum ſubiectionem ad eos potius eſſe referendam, qui in medio flore linguae Hebraeae uixerunt, quam ad Esdram, cuius quippe tempore aliquid iam inde amiſiſſe uidebatur. Vnde Scriptores ſacri uerbum diuinum in omnes formas flexile ſcriptis mandaſſent, ſi nudis id exaraſſent literis. A Moſis ergo tempore ad Esdram usque lectio legis et Prophetarum graui premebatur difficultate, ex qua populus ſine periculo ſeſe expedire haud poterat. Quis autem concedet, DEVM per amanuenſes ſuos, uoluntatem ſuam tam uagam, tamque uario ſubiectam ſenſui patefeciſſe, ita ut Esdrae

demum tempore difficultas haec punctorum inuentione tolleretur. Non quidem negamus, a Moſe ad Esdram usque ſemper uiros Spiritu Sancto afflatos fuiſſe, qui lectionem falſam facile corrigere, ueramque ſubſtituere potuerint. Aſt quum nullibi conſtet, uiros iſtos id quoque feciſſe, quum e contrario omne periculum facillimo modo euitari potuerit, ipſos Scriptores Sacros uocales literis addidiſſe maxime fit ueroſimile.

§. VII.

Sed uidetur ſibi CAPPELLVS totam hanc difficultatem, quam in lectione ſacra absque punctis quaeſiuimus, ſuſtuliſſe, quando ad tres illas praecipue literas אהו prouocat, quibus olim Hebraica non punctata fuerint lecta. Tam firmatam autem hic profitetur mentem ſuam, ut poſt longam inſtitutionem tandem concludat: r) *his ſubſidiis inſtructos, inoffenſo pede, in antiqua illa ſcribendi et legendi ſine punctis ratione, cucurriſſe olim, et hodie expedite ſatis uerſari, atque progredi, tum Iudaeos tum Chriſtianos doctos, qui linguam iſtam inſtitutione et frequenti lectione ſibi reddiderunt familiarem. His*, addit, *rite intellectis, uanitas argumentorum illorum manifeſta fit, quae a difficultate legendi Hebraica non punctata, aduerſus ſententiam noſtram adducuntur.* Huic argumento quum palmaria quaedam uis ab iis, qui nouitatem punctorum uocalium defendunt, ſoleat tribui, paulo curatius illi inhaerere iuuabit. In praecedentibus s) uero iam a nobis tactum, nonnullos Eruditorum in ea fuiſſe ſententia, uocales ab Alphabeto abeſſe haud poſſe, durumque illud VOSSII effatum ea de cauſa adduximus. Ad has uocales Hebraeorum inprimis literae אהו relatae, quibus, quum tota res haud uideretur confecta, ab aliis literae ה, ח et ע ad numerum perficiendum additae ſunt; ita ut quidam literas hasce uocalium indices, quidam ipſiſſimas uocales eſſe, uellent, in quibus א ualeret a clarum, ה e ſimplex, ח e duplex, י i, ו o et u, uel potius ω et ȣ, ut ſimplex ο per ע expreſſum. t) Haec ut quilibet uidet, non ſatis digeſte propoſita, cum natura harum literarum conſiſtere

r) In Arc. punct. reuel. L. I. C. XVIII. §. 33. 34.
s) Sectio II. de Literis Hebr. §. XIV.
t) Conf. Cel. SCHVLTENSII Gr. Hebr. pag. 21.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0024
DFG

consistere plane nequeunt. Literae enim הוחע omnes uocales, tum longas, tum breues post se recipiunt ac fulcrum praebent et uehiculum uocali sonandae. Vnde quomodo uocalium nomine uenire possint, non satis liquet. Et sane si a consonantibus literae illae excludantur, non Hebraea modo, sed omnes linguae orientales, quae eiusdem originis et indolis, a fundamentis suis ita subuertuntur, ut, uerba sunt Cel. SCHVLTENSII *u*) pro pulcro aedificio, nil nisi deformes habeas ruinas et coecum chaos. Sepositis ergo tribus illis הוחע, quorum natura ad indicandas uocales plane inepta est, de tribus reliquis אוי, quo iure ab aduersariis hic adducantur, erit dispiciendum. In hoc uero adstruendo CAPPELLVS omnium fere accuratissime uersatus, longum hac de materia implens caput, literas illas ab omni parte considerat. Inter rationes uero, quibus doctrinam de matribus lectionis, prout literae illae uocari assolent, fulcire annititur, prima desumitur ab usu in scriptis Rabbinorum recepto. *Ne cuiquam* inquit *x*) *mirum uideatur, magnam, positis matribus illis lectionis, adhuc in legendo restare ambiguitatem, atque inde haesitationem, cogitare eum oportet, ne quidem hodie aliter legi omnia Iudaeorum scripta, quae solis consonarum figuris exarata sunt omnia, si forte paucissima quaedam excipias, et fere sola συχολογια, quae quum in imperitae plebiculae, et linguae Hebraeae prorsus ignarae usum sint edita, necesse est ea uocalium notulis esse distincta.* In hoc asserto duo CAPPELLVM adstruere uideo, *alterum*, lectionem olim per matres lectionis fuisse institutam, prout hodie in scriptis Iudaeorum in usu est; *alterum*, positis matribus lectionis lectionem manere ambiguam. Quod ad primum attinet, non negamus, literas illas in libris Rabbinorum pro uocalium indicibus saepius adhiberi. Sed inde ad eundem usum in Sacris concludere uelle non satis tutum foret. Non adducam rationes quibus Cl. BVXTORFIVS contra hunc usum in Bibliis insurgit, quum uideam, aduersariorum tela iis non fracta esse, sed eos potius ad nouitatem punctorum inde nouo quodam argumento concludere. *y*) Disputabo tantum ex concessis, quando hoc uel adminiculo admisso lectorem haesitare,

u) c. l. pag. 22.
x) c. l. §. 1.
y) Conf. Vind. CAPPELLI L. II. C. VI.

haesitare, ambiguitatemque uel sic restare ipse CAPPELLVS diserte testatur. Ergo lectio Script S. sine punctis ambigua erit, adeoque, ipso CAPPELLO iterum fatente uera ea, quae §. II. monuimus. Talis certe ambiguitas adhaeret quoque scriptis Iudaeorum, licet frequens literarum אוי usus in iis reperiatur, adeo ut ipse CAPPELLVS in quibusdam ualde haesitauerit, de quo BVXTORFIVS z) pronunciat, *si ipsimet huius artis Criticae Principi et Aristarcho hoc euenit, quid sperandum de aliis? Si Cedros corripuit hic erroris ignis, quid fiet hyssopo prodeunte de pariete.* Et mox; *Quod si in his, quae humanam sapientiam continent, tam infeliciter ei cessit haec crisis, quid fiet, ubi ad sapientiae diuinae libros diiudicandos illa ars applicetur.* Miserrimam enimuero sortem eorum, quorum in manibus Biblia, uel plane non punctata, uel literis illis pro punctis scripta terebantur, si lectio tam ambigua obtinuit, qualem in scriptis Rabbinorum saepissime offendimus. Nec usus uiuus linguae hanc ambiguitatem in totum tollere poterat, quum aduersarii passim fateantur, lectionem S. Codicis non omnibus in uniuersum Iudaeis patuisse, et ipse hic fateatur CAPPELLVS, restare adhuc ambiguitatem. Vnde si ex concessis tantum hanc assertionem consideramus, matres illae lectionis onus sibi impositum ferre haud possunt, si uel hodie omnia fere scripta Rabbinica sic exarantur. Inutile proinde est remedium, quod in gratiam hypotheseos CAPPELLVS nobis praebet, quando ad quaestionem, quo pacto olim ante addita puncta legi potuerint Hebraica non punctata, ita respondet: factum id fuisse ope et subsidio literarum אוי, quae uice et loco uocalium erant.

§. VIII.

Verum ulterius progreditur CAPPELLVS, atque hanc suam de matribus lectionis sententiam usu omnium reliquarum linguarum Orientalium, quae Hebraicae uelut Dialecti sint comprobare annititur. Quam infeliciter uero hic rem suam gesserit, breuibus unicuique dabimus conspiciendum. Pergit uero ille. *Non aliter scribunt hodie Arabes et Syri, qui uix unquam utuntur*

z) In tract. de punctorum antiquitate p. 429.

tur vocalium notulis; et paucis de Turcarum et Persarum usu interiectis: *sed Arabes, quum in scribendo sint exactissimi, tribus tamen duntaxat uocalium notulis, quarum prima, quam Phatam uocant, ab Hebraeis* פתח, *notat ipsis modo A, modo E; secunda Kesra notat I; tertia Dhamma designat modo O modo V, plane eodem modo, quo literae* אוי, *adhuc utuntur.* Hoc argumentum ut infringamus, paucula ex Cel. SCHVLTENSIO, qui illud ex instituto aggressus est, atque adeo debilitauit, ut matres illas lectionis cum tota hac sententia in fumum abire, atque euanescere uideas, erunt subiicienda. Primo quidem bene agit CAPPELLVS, quod ueterem Arabum scriptionem cum hodierna non commisceat, quamuis ea, quae de hodierna in medium profert, ualde laborent. Alii ulterius progressi, Arabes priscis temporibus omnem lectionem tribus literis אוי instituisse, citra ullam rationem pronunciant. Quemadmodum uero supra iam monuimus, hodiernum characterem Arabicum seculo demum X esse introductum; sic probet quis, ueteres Arabes easdem literas אוי eodem modo adhibuisse, aut punctis caruisse penitus, cuius contrarium ex supra disputatis haud obscure patebit. *a)* Quum uero ad hodiernam tantum scripturam Arabum prouocet CAPPELLVS, neque nos plura urgebimus, contenti quippe iis in ordinem redigendis, quae de usu literarum istarum quotidiano adduxit. Tres igitur notulae illae, ad quas omnem uocalium suppellectilem adstrinxit MOCLA, minime inferunt, Arabes totidem tantum uocales habuisse, aut adhuedum habere, sed potius scriptionis compendium, rationemque diuersae pronunciationis indicant. Alias enim notum et peruulgatum est, Arabes, et qualitatis et quantitatis respectu, tot uocales agnoscere, quot Hebraei seorsim exprimere solent, ita, ut quinque breues, totidemque longas admittant. Ad breues autem uocales indicandas duplex tantum figura adhibita, quarum Phatha et Kesra, licet ductu conueniant, situ tamen distinguuntur; Dhamma uero peculiari figura gaudet. Vocalis Phatha sonum a et e, pro diuersa regione enunciandum significat, cuius rationem ita promit Cel. SCHVLTENSIVS. *b) Magna est uicinitas et uicissitudo inter*

a) Conf. merito clauem dialect. cit. p. 323. 324.

b) c. l. p. 353.

ter sonos breues e et a, omnibus in Dialectis, atque in Arabiae pro-uinciis potissimum harum uocalium pronunciatio ita alternat, ut non alia, quam uiui usus lege constringi sese patiatur. Haec ra-tio haud dubie conditorem nouae scriptionis Arabicae impulit, ut e et a paruum sub uno Phatha comprehenderet; quod omnibus libe-rum esset, uel hoc, uel illo modo, prout consuetudo publica ferret, enunciare. Simile quid obtinuisse inter Hebraeos, colligere est tum aliis ex uestigiis, tum ex celebri illo Patach, uicario τῶ Segol. Vocalis Kesra directe Hebraeorum Chirek breui respondet; et tandem Dhamma Kametzchatuph et Kibbutz, iterum pro diuersa pronunciatione comprehendit, prout Hebraei utramque hanc uo-calem uni eidemque formae subiicere solent. His igitur notulis Arabes quinque uocales breues exprimere solent. Easdem uero notulas pro longis indicandis quoque adhibent, interuenientibus scilicet literis אוי, ita ut א praecedente Phatha, ualeat a et o pro-ductum, h. e. Kametz et Cholem; ו praecedente Dhamma, Schu-reck, et tandem י anteeunte Kesra, Chirek longum et Tseri refe-rat. Sunt igitur literae illae uocalium longarum indices, quas qui matres lectionis uocare uoluerit, uitio creatas phrases, ad ui-tiosas opiniones ferendas adhibere uideretur. Praeterea literae istae, ut indicia uocalium longarum, ibi tantum conspiciendae ueniunt, ubi *seruire* dicuntur; ubi uero *radicalem* uirtutem ex-serunt, et moueri et quiescere possunt, easque frustra pro matri-bus lectionis tunc assumeres. Quod si ergo literas illas *lectionis matres* tenaciter quis appellare uoluerit, alio tamen casu hoc fieri haud poterit, nisi ubi uocalis longa obtinet. Quando uero for-ma per uocales breues exaranda, hocce lectionis subsidium fru-stra quis quaeret. Quomodo ergo forma talis statim in legendo dignoscetur, aut quodnam hic erit subsidium lectionis? An for-te sufficiebat Arabibus, pro lectione uera significanda, uocales longas tantum signasse? Hoc nemo dixerit. Accedit, uocalem longam non ubique locum habere, ubi aliqua harum literarum occurrit, quum, ut modo monuimus, saepe sint radicales, ac tunc nudarum uocalium uicem haud sustineant. Hinc Cel. SCHVLTENSIVS, c) pro insigni sua in hac literatura eru-ditione,

c) In Gramm. Hebr. p. 36.

ditione, ita pronunciat. *Nego atque pernego, illa subsidia uel ad decimam, quid? uel ad centesimam partem linguae, sine punctis legendae, peruenire, Infinitae sunt formae Verborum, Nominum, Particularum, in quibus nihil loci hisce* אהוי *relictum. Harum ambiguitatem citra notulas uocalium posse distingui, sine periculo continuo erroris, nemo adfirmabit, qui libros Msc., iisdem destitutos, non euoluere tantum, sed et enucleare conatus fuit. Nimis magnifice haec in orbe erudito iacta. Species quaedam imposuit Viris Doctis. Studium eos ulterius implicuit, atque uincere sibi uisi sunt eo argumento, quo certissime uincuntur, atque iam tum graue uulnus accepissent, si Cl.* BVXTORFIVS *tam potens fuisset in Arabicis, quam in Rabbinicis, atque aduersarium suismet armis refutare ualuisset.*

§. IX.

Sed ut propius adhuc ad scopum accedamus, missis siculneis istis rationibus, quibus CAPPELLVS hanc de matribus lectionis sententiam corroborare uoluit, dispiciendum erit, quem tandem usum, in lectione sacra praestare possint. Primo ipse CAPPELLVS fatetur, sententiam hanc non ita esse capiendam, quasi tuto quis uocalem a aut e ubique substituere possit, quando א compareat, aut uocalem i, quando י, aut o uel u, quando ו praesto sit; sed hoc plerumque tantum locum habere. Verba Eius hac de re sunt sequentia. d) *Caeterum quod dixi de literis istis* אהוי, *eas nimirum ueniisse in prisca Hebraica Scriptura uice et loco uocalium, non est ita accipiendum, quasi Aleph scriptum fuerit, ubicunque A uel E audiendum erat, Iodque similiter adscriptum, quotiescunque I, uel quum interdum E audiri debuit; Vau item notatum sit, ubicunque O uel V efferendum erat. Minime certe. Quid ergo fuit? Nempe Iod quidem et Vau frequentissime, et fere semper, quamuis non re uera perpetuo, ueniebant loco et uice uocalium suarum E, I, O, V, easque certissime designabant. Aleph uero interdum quidem, rarius tamen, imo rarissime iam adhibebatur ad designandas uocales A et E, utpote quae ex absentia duarum literarum Iod et Vau ut plurimum conii-*

 ciebantur,

d) In Arcano punct, reuel. L.I, C. XVIII. §.2.

tiebantur, h. e. ubi literae illae non comparebant, iudicabant ibi plerumque legendum esse A uel E. Ex his uero, quae de litera א CAPPELLVS nos docet, eam ex numero matrum lectionis eliminandam esse censerem, quum ex praesentia eius ad uocalem enunciandam tuto concludi nequeat. Quod uero rarissime tantum factum esse dicitur, id nec huc reuocandum esse, accurata exemplorum resolutione adstruere conabimur. Varia namque, in gratiam hypotheseos suae, exempla CAPPELLVS congessit, quibus euincere annititur, literam א, in illis conspicuam, nullam nisi designandae uocalis *a* rationem habere, atque adeo uel hodie antiqua illa lectionis subsidia palam significare. Eum itaque in finem adducit locum HOSEAE Cap. X, 14, in quo קָאם lectum uult pro קָם, quasi forma esset Praeteriti. Ast si Participium, ad legem Chaldaeorum, hic substituatur, mater illa lectionis sponte euanescet. Idem dictum sit de רָאשׁ a R. רוש, ut et de דָּאג a דוג, nec non de שָׁאטָן, שָׁאטוֹת, שָׁאטִים. באזקים ut et האזקים uero, quod ex Ier. XL, 1, 4 adducit, huc minime est referendum, quum א in his aperte sit litera Heemantica, ac uocis formam constituat. אֲזִקִּים enim est a Sing. אָזֵק pro אַזְקָק a R. זקק, cuius alterum deriuatum זֵק sub alia forma praebet זִקִּים. Neque מְלָאכִים, quod ex 2 Sam. XI, 1 profert, ad classem nominum eorum pertinet, quae א superfluum, in gratiam lectionis, adsciuisse dicuntur, quum א, ex usu Aramaeo, quod ante se Schua habebat, illuc uocalem suam, qua mouebatur, transmiserit. מְלָאכִים enim est pro מַלְאָכִים, prout מְלָאכָה et מְלֶאכֶת pro מַלְאָכָה et מַלְאֶכֶת. Sic quoque Neh. VI, 8 בְּרָאם est pro בִּרְאֵם, ut et שְׁמָאל pro שִׁמְאֵל. Praeterea nihil impedit, quo minus saluo contextu radicem לאך in loco isto assumamus. Quae iam porro adfert exempla, quibus asserta sua uult probata, ita sunt comparata, ut uoluntatem pro ratione diserte testentur. Pergit enim: *Huc referri potest* פארור olla, *pro* פרור *ut eius radix sit* פרר, *non autem* פאר. Sed quare hoc? ut nempe matrem lectionis conspiciendam daret, quam substituta radice פאר in fumum abituram sentiebat. Pari ratione, in gratiam hypotheseos, uoces significatione desolandi, quae iuxta Masorethas punctatae

ctatae sint, quasi essent a R. אשם, mutata punctatione deriuatas uult a R שמם, quum tamen linguae analogia in uocibus istis thema אשם requirat. Sic tandem יָמָאַס et מָאַסְתִּי non a מאס, prout linguae norma uolebat, sed a מסס deducenda esse perhibet, ut nempe mater illa lectionis in exemplis istis appareat. Tam infirmo itaque argumento literam א in numerum matrum lectionis relatam uidemus, cui si ambiguitas illa, quam CAPPELLVS supra concesserat, accedit, ego quidem nescio, quem tandem usum haec lectionis mater ad Hebraica non punctata legenda, sit exhibitura. Praeterea litera haec non tantum quiescit, sed quoque moueri solet, idque saepius in una eademque uoce, ita ut e. gr. a R. אהב duplex sit Futuri forma tum per motum, tum per quietem. Quo signo ergo una ab altera erit discernenda. Dices, hoc facile ex usu patere. Bene uero! sic ad memoriam hominum recurrendum erit, atque hoc pacto omnis abesse poterit lectionis mater. Solum autem usum hic non sufficere, ipsa hac sua sententia CAPPELLVS haud obscure docet. Quid enim subsidio tam siculneo opus, si cognitio linguae Hebraeae penitior, si usus, traditio, memoria hic omnia efficere ualent. Valeant ergo matres lectionis, et in his praecipue א, quippe quae lectorem magis confundere, quam ei succurrere, apta nata est.

§. X.

Verum non א tantum, sed reliquae etiam, quae adhuc supersunt, literae ו et י, ad unicum lectionis non punctatae subsidium constituendum, non satis idoneae uidentur. Fundamento quidem aliquantum firmiore eatenus niti uidentur literae illae, quatenus quies earum, ratione uocalis, quieti accommodatae, in his magis, quam in א definiri potest. Concedimus enim CAPPELLO, literam ו non quiescere, nisi in sonis o uel u, ut nec י, nisi in i uel e, ut adeo lectio iam uideatur in his magis adstricta esse, quam ea, quae interueniente א fieri debebat. Attamen uel sic lectionem incertam et dubiam manere, paucis nunc dabimus. Primo quidem id haud praetermittendum uidetur, quod ipse CAPPELLVS fassus est, regulam minime uniuersalem esse, ut semper i aut e legas, quando י oculis tuis obuersatur, aut

ubique o uel u, quando ו occurrit. Proinde nimis confidenter iterum, mediantibus literis iſtis, lectionis certitudo iactatur, quae, ſi firma eſſe debet, ſignum uocalis conſtans requirit. Vt uero Scripturae punctis deſtitutae lectio, poſitis matribus hisce lectionis, admodum incerta ſentiatur, obſeruamus, aliam rationem eſſe harum literarum, ubi radicales ſunt, aliam uero, ubi ſeruiles dicuntur. In qualitate radicali conſtitutae aeque moueri ac quieſcere poſſunt, atque adeo nihil hic certi finiunt. Idem CAPPELLVS quoque agnoſcit, quando *e*) ita praecipit. *Nullas autem certas uocales notant, niſi quum quieſcunt; nam quum mouentur, omnes poſſunt admittere uocales, eademque eſt earum ratio, quae aliarum literarum radicalium.* Mirum proinde, quum lectio tam anceps ſit per literas hasce, radicalem uirtutem exſerentes, Eum in ſubſidium eas Scripturae non punctatae expedite legendae uocare potuiſſe. Quicquid autem hac de re praecipit, Grammaticam enim ad tuendas matres lectionis fere conſcripſiſſe uidetur, res tamen admodum uaga et ambigua manet, ſi uel praecepta eius memoriae mandes, uel, quod innuere uidetur, cognitione linguae Hebraeae intima gaudeas. Capiamus exemplum, quo ambigua lectio, poſitis literis ו et י radicalibus, ceu lectionis matribus, ſentiatur, in uocabulo ייחל, quod legi poterit uel יִוָּחֵל, ut ſit Fut. in Niphhal, ceu exprimitur Gen. VIII, 12, uel יִיחַל qualis forma Gen. XXI, 20 a R. ירש occurrit, uel יֵיחַל ad formam יֵיקַר Pſ. LXXII, 14, uel יְיַחֵל ut ſit Fut. in Pihhel. Ad eandem rationem הוּבַשׁ legi ſe patitur הִוָּבֵשׁ, הַוְבֵּשׁ ut Pſ. V, 9, Gen. VIII, 17, ut et הוֹבֵשׁ, ut adeo nihil certi figi hic poſſit. Talia iam nude in Sacris olim poſita fuiſſe, absque ullo diſtinctionis ſigno, non uidetur aſſumendum, quum error in hisce facillime committi poſſit. Quatenus ergo radicales ſunt literae iſtae, in ſubſidium lectionis certum haud influunt. Verum nec ibi certum quid in genere definiri poteſt, ubi *ſeruitutem* ſuam exſerunt, de qua CAPPELLVS quaedam ſpeciminis ergo collegit, quae tamen curatius penſitata usque quaque uera haud ſunt. *Iod* inquit, *adhibitum fuit inter ſecundam et tertiam*

e) c. 1. §. 23.

tertiam radicalem loco uocalis i in tota coniugatione Hiphhil, tum perfectorum omnium, tum plerorumque imperfectorum. f) Pace Viri Doctiſſimi, criterium hoc non uniuerſale eſt, quum etiam uocalis e, praeſente Iod, in Hiphhil adeſſe poſſit, ut Amos. IX, 8. Neh. VII, 3. Deut. XV, 14. Pſ. CXLII, 5. Ioſ. VI, 3. Ieſ. LIX, 4. ut alia loca praeteream. g) Deinde uocalem Tſeri, quin Patach terminale punctum ſpeciei Hiphhil nonnunquam conſtituere, notiſſimum eſt, quod obiter tantum tangimus. Et ne cum CAPPELLO uidear Grammaticam, in quamplurimis admodum mancam, conficere uelle, in genere quaedam his adieciſſe ſufficiat. Incertam autem uocamus lectionem literarum ו et י, ſi matres lectionis eſſe debent, quum ſaepius, ſi uel ſeruiant, aeque moueantur, ac ſi radicales ſint, ac propterea motus cum quiete facile poſſit confundi. Vnicum iterum dabo exemplum in uoce דברי, quippe quae uario modo enunciari poteſt, ut דָּבְרִי, דָּבָרִי, דִּבְרִי, ut differentiam reliquorum punctorum praeter י taceam. Inconſtans proinde lectio manet, quicquid hic ab aliis praecipiatur. Tandem nec hoc plane omittendum, Virum Doctum ab uſu loquendi recepto discedere, literarumque harum ſtatum, ubi in uocali praecedente quieſcunt, cum eo, ubi fulcra praebent uocalis longae ſonandae, inter ſe confundere. Priori reſpectu Iod dicitur quieſcere poſſe, pro uaria uocis forma, tum in i, tum in e, h. e. in (ִי ֵי); nec non ו in o et u, h. e. in (וֹ וּ). Poſteriori uero, regula plane aliter eſt concipienda, et uocalis longa, quae fulcro י utitur, ſemper i ſonanda, prout fulcrum ו, quod ſupra ſe punctum admittit, ubique o, quod uero in medio punctatum, ubique u enunciandum. Quod ſi iam hoc caſu literas ו et י matres lectionis quis appellare uoluerit, in uerbis faciles erimus, dummodo ultra quam par eſt, res non extendatur. Sic uero iterum formae tantum, uocalibus iſtis longis praeditae, ſine reliquis ſignis tuto legentur. Nonne uero conſtat, quamplurima uocabula uocalibus tantum breuibus formari? An et in his mater lectionis quaedam obtinuit? Hoc ne CAPPELLVS quidem admittit, quum in talibus

f) c. I. §. 6.
g) Plura uide ſis apud Cl. ALTINGIVM in Grammatica Hebr. p. m. 220.

bus ad diuinationem et coniecturam facilem confugiat. Peculiarem inde institutionem tradere annititur de literis istis, quibus iam ה adiunctam uult, quatenus lectioni inseruiunt designandis et diuinandis uocalibus. *b)* Quando uero totam hanc praeceptionem mente attenta consideramus, nihil aliud inde concludere possumus, nisi quod saepius iam insinuatum, literas nempe hasce per omnes uocales, tam longas quam breues moueri, ac tum in omnibus, tum in quibusdam uocalibus quiescere. Influunt certe in Verba, Nomina et Particulas; sed in singulis tum mouentur, tum quiescunt. Nonne uero tali praeceptione aeque incertus manet lector, ac antea erat, quam eam legebat. Quid iuuant tot exempla in medium producta, quae nihil certi in genere figere ualent? Praeterea multa infeliciter adducta, alia neglecta et omissa, quae, si ex institutione scholastica, unde ea deprompsit CAPPELLVS, hic sigillatim repetere, addere quin refutare uellem, nimia prolixitate et digressione lectoribus taedium crearem. Et quomodo tandem lectio procedet in iis, quae nec uolam nec uestigium matrum lectionis offerunt, quorum numerus certe ingens, reliquisque nisi praeferendus, certe tamen aequiparandus erit. Nos quidem sola coniectura in Sacris minime contenti sumus. Certum sit uerbum DEI, certus sensus inde hauriendus, qui tamen nunquam tuto inde effodi poterit, nisi de uera lectione constet. Haec uero, punctis plane deficientibus, tuto talis uenditari nequit, praesertim tum, ubi forma, uocalium transmutatione, exstitit dubia. Concludo ergo, si maior utilitas cum literis istis ad Hebraica non punctata expedite, atque inoffenso pede legenda, non est coniuncta, quam ut aeque ambigua maneant, ac literis illis absentibus: nullo iure matres lectionis in subsidium lectionis aduocari, e contrario sententiam eorum longe praeferendam esse, qui Codici S. certas semper adscriptas fuisse uocales statuunt. Sunt praeterea alia argumenta, quibus ab utraque parte pugnatur, ex quibus ea, quae arcem causae maxime ferire uidebuntur, in sequentibus sumus examinaturi.

b) c. l. §. 16 seqq.

Ornatissimo
DISSERTATIONIS DEFENSORI
PRAESES.

Quae aliorum in edito specimine publico ratio esse solet, ut nempe beneficia in se iam collata, non indigne plane accepisse testentur; ea TE sola non uidetur ad probandam diligentiam TVAM mouisse. Promereri namque uis gratiam Patronorum, ac antequam eius ex uoto particeps es factus, certum quasi ius in munificentiam Eorum ostendere, ut, cui contulerint, uel sint collaturi, iam habeant probatum. Laudo hoc TVVM propositum, et quum de assiduitate ac singulari modestia TVA optimum TIBI testimonium exhibere possim et debeam, applausum Auditorum, ex specimine hocce certo certius reportandum, TIBI in antecessum gratulor. Vtinam uoti compos fieres, TVAque, quam semper praestitisti diligentia, beneficiis ea dignis subleuaretur, quo studia TVA sine impedimento feliciter prosequi, parique fortuna absoluere possis! Sit tandem DEVS comes TIBI in itinere, quod anno insequente sub Eius auspiciis instituendum meditaris, TVAMque scientiam ac industriam prosperitate ac honore coronet. Dabam. Gedani ad d. v M. Octobris. A. R. S. cIↃ IↃ CCLIII.

Mon très cher ami!

Plus il est difficile à démeler la uerité, plús elle contribue au progrès de l'esprit humain. Il n'y a point d'art, ni point de science, qui nait ses difficulté, et ceux qui en sauent faire le denouement ne s'aquierent pas peu de gloire et d'estime. Tous ceux qui s'y y sont appliqués serieusement, nous ont frayé un chemin bien ample dans cette carriere, et nous leur sommes redeuables des petits rayons, qui eclaircissent aujourdhui nos esprits. Ie ne fais point de difficulté de dire que nous en faites nombre puisque uous uous y appliques sans rélache. Que ne doit on pas esperer d'un genie si hûreux, qui fait tous ses efforts pour paruenir au but que lui propose le panchant naturel de sauoir discerner le faux d'auec le urai. Votre industrie nous en donne un bon exemple par la disputation, qu'elle met aux mains. Ie souhaite de tout mon coeur très cher et honoré LEHMANN, que uos progrès aillent toujours augmentant de jour en jour, jusqu'à ce que consommé en sauoir, uous soyes couronné de lauriers. Voi la les uoeux de

Votre très affectionne ami et serviteur
Ch. Pantaenius,
Pommer. Opp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0035
DFG

Nobilissimo ac Doctissimo

DISSERTATIONIS DEFENSORI

Amico dilectissimo

S. D. P.

Abrahamus Schmidt. Ged. Opp.

Dici uix potest quantopere iis delector, qui reiectis opinionibus, explosoque torpore, cum sciendi ardore morum coniungunt elegantiam. Hac quippe uiuendi ratione nihil est conducibilius ad consuetudinem connectendam, amicitiasque alendas. Omnibus namque, quibus *Lehmannum* meum nosse datum est, mirifice sua uel diligentia indefessa, uel modestia singulari se commendauit. Et quid mirum: virtutes, quas cum modestia si aeques, magnam sibi conciliant non laudem modo, uerum et amorem insignem. Eruditio singularis ad adsensum quidem pellicere potest, nunquam tamen, modestia seiuncta, mentibus ingeneratur amor. Magni itaque faciendus est Noster, qui industria, pietatis laude, modestiaeue gloria Patronorum sibi contraxit fauorem. Encomio haud uulgari dignus censendus, optime perspiciens, quid illis incumbat negotii, qui diuinis operantur. Sua iam sponte, in laudes Tuas Amice, et mihi excurrendi nasceretur materia. Possem specimina indolis erectioris Tuae luculenta in scenam adducere. Recenserem quanta cum animi contentione in studium Philologicum incubueris; adfulgeret hic dies plausu uotiuo promeritos Tibi dabit honores, et quo minus precibus Tuis exquisitis deessem, lubenter, cumque animi uoluptate Antagonistae in me suscepi prouinciam. Iure sibi officium, leuidense hoc quidem leges amicitiae uindicare uidebantur sanctae. Gratulor iam de experimento, quod in Panegyri Patrum Conscriptorum edes. Laetus auguror, omnesque boni, spem, quam sustines illustrem, omnibus numeris non expleturum solum, sed et superaturum Te esse, unanimiter praedicant. Optata denique, ut pietati in Te meae faciam quod satis, nuncupo, velit D. T. O. M. corporis uigorem, ac eximia animi dona naturae beneficio concessa in dies magis magisque adaugere, ut, quos studio collegeris, fructus in Numinis gloriam uergant, Tibi uero ac Patriae emolumento sint. Quod reliquum est, ut amicitiae ac amori Tuo in posterum me quoque commendatum habeas, est quod enixe rogo. Vale ac Faue. Dab. d. XV. Octob. A. O. R. MDCCLIII.

Quid iuuat Aoniis usque inuigilasse Camoenis?
Artibus ingenium quid decorasse iuuat?
Non satis est Sophicum pectus coluisse per artem
Arguit ingenium lingua diserta Tuum:
Quod bene perpendens, conamine Suauis Amice,
Palladis in campo proelia docta subis
Gratulor hincce bonis animo conatibus hisce
Exinde accrescat gloria magna Tibi

Haec pauca in sincerae amicitiae tesseram Eximio Praestantissimoque Domino Respondenti apposuit

Ioannes Daniel Steffen. Ged. Opp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825626374/phys_0040
DFG

§. II.

Ad ſtatum controuerſiae rite figendu initio
praemonemus, non confundendas eſſe uocale n figu-
ris, aut denominationibus hodiernis. Alia io eſt,
num Hebraei uocales ſuas nullis unquam notuli t? alia
uero, num hodiernis figuris eas primitus exp Diffe-
runt porro quaeſtiones illae, num uocales H nullas
unquam, an hodiernas ſemper geſſerint denon Vo-
calibus enim in genere Hebraeos caruiſſe, ne mabit,
niſi uocem ſimul hominibus iſtis adimere uelit. c de re
ulla lis uel mota unquam, uel moueri poterit, um ſit,
nullam conſonam ſine uocalitate quadam articu roferri
poſſe. Hinc optimo iudicio Iudaei uocales ות tiones
appellauere, quod nemo literam mouere *b)* uinque
iſtis motionibus. *c)* In pronunciatione itaq s haud
deſtituebantur Hebraei. Vtrum uero uocales, ciando
conſonantibus datas, certis ſignis quoque exp oc eſt,
quod in quaeſtionem nunc uenit, et paulo cu ndum
erit. Noſtro quidem iudicio, ſi ad id primo quod
ſumma nititur uero ſimilitudine, Hebraei non ni uo-
calis notula caruiſſe. Quod ut euincam, argu iunde,
niſi ex ipſis linguae uiſceribus deſumam. Ho ſit, et
ne a limine quidem linguam Hebraeam ſalutaſſ , qui
neſciat, unius radicis formas dari tam diuerſas aracte-
re ſic diſtinctas, ut, niſi notula quadam a ſe ernan-
tur, facile eas inter ſe confundas. Exempla a, ab
Eruditis hac de re iam prolata, id luce meridia obant.
Vnde colligimus non uero ſimile eſſe, formas nquam
notula fuiſſe diſcretas. Neque uero eo nunc r, ut
defen-

b) Hanc Iudaeorum ſententiam ita illuſtrat Cel. SCHVLTENSIVS in grammatica Hebraea pag. 45: clarius fuiſſet, ſi pro mouere dixiſſent articulatam facere, uel animare, uel tale quid. Re uera moueri poteſt omnis litera ſine ope uocalis alicuius, i. e. poteſt ſecundum organa ſua reddi odi; ſed non poteſt articu nque efficere certa praec ne. Sit ergo moueri in articulato ſono proferri.

c) Verba ſunt Mich. l. fol. 168.